



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per  
Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum,  
quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia  
Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1719**

Quæst. 668. Quid & quotplex codicillus, & ad quid serviat.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](#)

## CAPUT V.

## De Codicillis, fideicommissis, Legatis.

## §. I.

## De Codicillis.

*Ques. 668. Quid & quotuplex sit codicillus & ad quid serviat?*

1. Esp. ad primum: codicillus quasi parvus codex; quia in breviore chartula quam testamentum siebat, & ut ait gl. ad rub. *Inst. de jure codicillor.* habens se ut scapha ad navim, acceptus pro instrumento, appendice & accessorio ultima voluntatis à tabulis testamenti distincto, describi potest, quod sit ultima voluntas seu testatio, sive per scripturem, sive nuncupative, sive in testamento, sive extra illud seu sine illo declarata minus solenniter, sive directa hæreditis institutione de eo, quod quis post mortem fieri velit sumitur ex toto tit. *Inst. &c. de codicillis.* Dicitur primo: *ultima voluntas seu testatio:* quod stat loco generis; quamvis & per rò *ultimate testatio* distinguatur à donatione mortis causâ, que licet & ipsa inter ultimas voluntates referatur. *in L. fin. c. de donat. mort. caus.* non est tamen ultima testatio, sed potius conventione quedam utriusque donantis & donatarii consensum requirens; & sic potius quod ad sui constitutionem referenda ad conventions quam ultimas voluntates. Lauterb. *ad ff. de jur. codicillor.* §. 3. Dicitur secundo: *sive per scripturam, sive nuncupative:* quia non minus per nuncupationem quam per scripturam more testamenti fieri potest. Lauterb. *l. c. §. 6.* juxta *L. fin. c. de jur. codicill.* unde etiam dividit codicilli in scriptos & nuncupativos. *cit. L. fin.* Dicitur tertio: *sive in testamento, sive extra illud:* indubitatum enim est, posse illos fieri tam in testamento post illud juxta *L. 3. c. de jur. codicill.* quam absque testamento. *L. 4. c. eod.* Unde dividuntur in factos ab intestato & testamentarios, ita ut facti ab intestato per se subsistant & validi sint. §. 1. *Inst. L. 2. §. fin. L. 3. 8. 10. ff. de jur. codicil.* testamentarii verò referantur ad testamento, & ex inde tanquam pars & sequela vim suam accipiant, sive ante, sive post illud, modo in eo facti. §. 1. *Inst. L. 2. L. 3. §. fin. L. 14. 16. 19. ff. de jur. codicil.* Lauterb. *ibid. §. 4.* & licet facti post testamento majoris securitatis gratiâ; non tamen de juris necessitate opus habent confirmatione. Lauterb. *l. c. remittens ad Molin. de j. & j. tr. 2. d. 131. num. 3.* Muller. *ad ff. de jur. codicil. tb. 56. Lit. a.* Dicitur quartò: *declarata seu facta minus solenniter:* non enim requiruntur in codicillis ordinandis solennitates omnes, quæ in testamentis ordinandis sunt necessariae, de quo intelligendum, quod dicitur. *§. fin. Inst. de jur. codicil.* ad codicillos nullam requiri solennitatem. Adhibenda tamen etiam in illis solennitates quedam ad effectum probatoris, de quibus paulo post in specie. Dicitur quintò: *sive hæreditis institutione:* nam in codicillis neque hæres institui, neque hæreditas affer-

ri potest; ne confundatur ius testamentorum & codicillorum. §. 2. *Inst. de jur. codicill. L. 2. & L. si idem. c. eod.* & per hoc vel maximè differt codicillus à testamento. Dicitur sextò: *sive directa institutione:* quia nihilominus per fideicommissum in codicillo hæreditas dari, adeoque hæres indirectè suo modo institui potest, ut dum quis sine testamento decedens facit codicillum, rogado in illo hæredem ab intestato (qui in hoc patere debet, et si tribellanicam deducere possit) ut hæreditatem vel totam vel partem restituat. *cit. §. 2. Inst. & L. 2. c. de codic.*

2. Resp. ad secundum: codicilli dividuntur in publicos, qui auctoritate Principis vel Judicis sustinentur, & privatos. Item dividuntur in scriptos & non scriptos seu nuncupativos. Quamvis enim inspecta vi propriâ & significatione verbi codicilli primæva, scripti esse debeant, usu tamē juris ad non scriptos extenduntur, maxime respiciendo voluntatem codicillantis, quæ aequè verbis quam scripturâ exprimi potest. Subdividuntur tam scripti quam non scripti in factos ab intestato & testamentarios, qui etiam codicilli ad testamento dicuntur, juxta jam dicta. Item dividuntur in declaratorios, quibus testamento factaque in eo fideicommissa, legata, aut etiam facta extra testamento donationes mortis causâ explicitant & declarantur. & dispositorys, quibus citra testamento factum aliqua, aut præter ea, quæ in testamento disposita constituantur alia, aut etiam testamentaria, salva hæreditis institutione mutari, minu augeri possunt.

3. Resp. ad tertium: servunt codicilli illis, qui testamento facere nolentes libenter legata aliqua, vel donationes causâ mortis facere vellent, aut hæredem indirectè instituere, vel testamento jam factum mutare, declarare, augere, minuere, de quibus paulo post, ubi de effectibus codicillorum.

*Ques. 669. Qui codicilos facere & ex iis percipere quid possint?*

1. R Esp. ad primum: facere eos possunt omnes & soli, qui testamento jure facere possunt. *L. 8. §. 2. L. 6. §. 3. de jur. codicill.* Unde potestate faciendi testamento etiam à statuto aliquo id prohibente, eo ipso codicilos quoque facere nequit. Struv. *ad ff. de jur. codicill. th. 56. Lit. δ.* citatis Bart. Alex. Zafio in *L. 2. de legat.* Valsq. *de success. progr.* *L. 3. §. 30. num. 32.* à quo dissentire videatur Muller. *ibid.* dum ait: statutum seu jus municipale, ne quis ante annum 25. faciat testamento ad codicilos extendi non potest; quia statuta proprie & strictè accipienda, maxime dum juri communi derogant: stricta autem & propria appellatione testamenti codicillus non contineatur. quamvis dici possit in eo casu non prohiberi factioñem codicilli à talis statuti, sed vi juris communis, dum illud statuit, quod cui prohibetur factioñem testamenti, unde-

R. P. Lœv. Jur. Can. Lib. III.

pp 2 cunque